



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 61. Primatus Ecclesiæ Lugdunensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

los necasset. Plerique hujus Concilii ^{Sæculum XI.} Patres arbitrabantur, Censurarum rigo- ^{A.C. 1079.} rem contra eum adhibendum esse; sed Pontifice adhuc inducias indulgente Regis Henrici Legati juramentum præstiterunt in hæc verba: *Ad Festum Ascensionis venient ad te Regis, Domini mei, Legati, qui Legatos Sacra Sedis tutos ducent & reducent; Rex vero eis in omnibus, quæ Justitia postulaverit, obtemperabit.* Legati quoque Regis Rudolphi jurarunt in hunc modum: *Si, te jubente, Conventus in Germania celebretur, Rudolphus Rex, Dominus noster, vel ipse eo se conferet, vel Episcopos suos & subditos mittet, Judicium Sedis Apostolicæ in causa Regni, quod duos Reges non capit, subibit, & omnibus viribus Legatos tuos in negotio reducendæ pacis adjuvabit.* Tum etiam Henricus Archiepiscopus Aquilejensis jurejurando fidem & obedientiam Papæ promisit, & sententia excommunicationis olim lata in quosdam Episcopos Longobardiæ, confirmata est. Ita hucusque Pontifex uni Regum magis quam alteri non favebat.

§. LXI.

Primatus Ecclesiæ Lugdunensis.

Gebuinus Archiepiscopus Lugdunen- ^{VI. ep. 36.} sis, brevi postquam fuisset ordinatus,

Sæculum XI. tus, Romam profectus, Pallium, & Pri-
A.C. 1079. matum, quem Sedi suæ in Provincias
 quatuor, Lugdunensem, Rotomagensem,
 Turonensem & Senonensem competere
 credebat, confirmari sibi petiit. Papa
 præsumens, antiquissimam hanc esse Ec-
 clesiæ Lugdunensis prærogativam, quæ
 Gebuinus petebat, concessit, & datis ad
 Archiepiscopos Rotomagensem, Turo-
 nensem & Senonensem literis, iussit,
 ut Lugdunensem Primatem suum ve-
VI. ep. 34. nerarentur. Verum attentus Lector

Sup. lib.
XXVII.
 S. 45.

VI. ep. 35.

meminerit, hucusque nullum nobis hu-
 jus Primatus argumentum, nec ullos
 alios in Galliis Primates occurriffe, quam
 illos, quibus non nunquam Pontifices,
 videlicet Archiepiscopis Arelatensibus &
 Viennensibus, Potestatem suam delega-
 bant.

At in Epistola Gregorii VII. ad tres Ar-
 chiepiscopos data deprehenditur funda-
 mentum, quo nixus Ecclesiæ Lugdunen-
 si favebat; ita enim loquitur: *Provin-*
ciæ multo ante Adventum Christi tempo-
re maximam partem divisæ fuerunt, &
postea hæc Divisio ab Apostolis & a San-
cto Clemente Antecessore nostro renovata
est. Nempe in qualibet Metropoli Pro-
vinciarum, ubi Magistratus residebant, &
quo illi querelas suas deferebant, qui ni-
lam Imperatorum vel Regum adire non po-
terant,

terant, in his, inquam, Civitatibus Divinis & Ecclesiasticis legibus institutum est, ut Patriarchæ seu Primates (hi enim diversa quidem nomina, sed eandem Potestatem habent) versarentur. Porro in ceteris civitatibus Metropolitanis, quæ minores Judices habebant, Comitibus tamen majores, Episcopi sunt Metropolitanis, Primatibus subjecti, & aliis Episcopis superiores. Nunc vero hæc omnia, in epistolam Gregorii VII. translata, ex falsa Decretali, quæ S. Anacleto adscribitur, de verbo ad verbum excerpta sunt, & consentiunt alteri falsæ epistolæ S. Clementis. Sed potius antequam hæc laci- niæ, ex Collectione Isidori decisæ, in lucem prodissent, Primatum nomine soli Metropolitanis veniebant, vel illi, qui æqualem gradum in aliqua provincia obtinebant. Hoc ergo fundamento nixus Gregorius VII. præcipit tribus Archiepiscopis Rotomagensi, Turonensi, & Senonensi, ut Ecclesiæ Lugdunensi honorem & venerationem exhiberent eo modo, quem Romani Pontifices, Antecessores sui, eis præscripsissent. Unde colligimus, Papam præsumpsisse, hoc Privilegium ab aliis Pontificibus Ecclesiæ Lugdunensi fuisse concessum. Hæc duæ Epistolæ de Primatu Lugdunensi vigesima Ap illis anno millesimo septuagesimo nono datæ sunt.

Sæculum XI.
A.C. 1079.

Anacl. ep. 2.
n. 4. to. 1.

Conc. p. 254.

Clem. ep. 1.

ibid. p. 91.

vid. Marc.

Dissert. n. 2.

p. 50. &c.

to. 10. Conc.

p. 520. &c.